

Quem Patris candor, quem & avunculus excitat armis  
Mauritius, matris vota, manuque socer,  
Artibus externâ transacta puertia glebâ;  
Suesceret ut publicæ munia ferre rei.  
Escendit primo thalamum Regina juventæ  
Vere, Britannorum gloria, spes & amor.  
Admotus Patriæ recti monumenta secutus,  
Munimenta dedit, pignora certa, domus.  
Dotibus his Regem commota BOHEMIA legit,  
Non prece, nec pretio, quem prece Jhova dedit.  
Omne piis paret, pietas parat, omnia, verâ  
Quæ munita viget relligione, fide.  
Perge DEUM verâ, REX, Relligione vereri,  
Transferet hic, in te pluria scepra senem.

L. M. Q. F.  
Cyr. Herdesianus J. U. D. & P. P.



ΕΥΝΘΕΩ.  
MATHESIS  
INTIMATA,

In  
ILLUSTRI SCHON-  
AICHIANO

à  
DAVIDE VECHNERO  
FREIST. SIL.


Idib. Jan.

Anni M. DC. XIX.



BETHANIE,

Exscripsit typis Johannes Dörfferus.

  
**E** metallis nonnulla qualiscunq; politurę  
accessu ita exsplendescunt, ut non modò contu-  
entium oculos jucunda coruscatione oblectent,  
sed & ipsos penè animos in admirationem prole-  
ctent & amorem. Par quædam **DISCIPLINARUM**  
**MATHEMATICARUM** ratio, quæ ipsæ non absimiliter  
satis sese commendant. Eò fit, ut fucato non indigeant  
nitore, abundè naturali dotata. Sunt utiq; , si ex vita sal-  
tèm communi, civili, rustica pensitentur, auro argen-  
toq; commodiores; vitæ etiam necessitatibus mirificè  
inserviunt, si idem videre licet in aliis multivariè. Quod  
si res à cultoris nomine & eminentiâ dignitatis argu-  
mentum quoq; habet; id **MATHESIS** jure quodam  
proximiorè sibi vendicare videtur. Nam, dum reliqua  
studia ferè intra privatos paucorum parietes delite-  
scent; hæc lucis avida publicæ, in Illustrissimas, poten-  
tissimasque Principum aulas accersita, Regum Magna-  
tumque animos sibi demereri solet. In publicum id lo-  
quuntur ex nupero, Regis Arragonum **ALPHONSI-**  
**NÆ**, Ducum Prussię tabulæ **PRUTENICÆ**: nostro hoc  
seculo idem attestatur pulvis **ACHILLIS BATAVI**  
Mathematicus. Quin ipsi quoque Marti ministra nescio,  
an magistra magis facta, pugnare eum expeditiùs & feli-  
cius, propugnare sedes suas fortiùs, alienas oppugnare  
promptiùs, edocet. De infinitâ rerum, quas circa occupa-  
tur, amplitudinè, tacente etiã met constat: dum ipsam  
superùm sedem, terram, maria, & quæ in his spectari pos-  
sunt, motum, numerum, pondus, mensuram, levitatem  
sua διασκέψει comprehendit. Imò quod magis miramur,  
pancra-



426429

pancratorum inventione vires humanas ita adminicu-  
lari erudit: ut, si quò tutò stare possent, daretur, Ipsam,  
quam immobilem jure credimus, moturæ terram, non  
prorsùs temerè ac vanè videãtur. Usus porrò si spectes,  
latissimus est; qui etiam in vulgarib. maximè innotescit;  
ut in temporum intervallis designandis, feriis indicen-  
dis, mercibus ad libellam numerumq; exponendis, aquis  
ducendis, aggeribus exstruendis, limitibus definiendis,  
agris dividendis, gravibus loco movendis & id genus a-  
liis. Et quæ tandem vitæ pars est, ad cujus usus è cornu co-  
piæ Mathematico non effundatur aliquid? Itaq; super-  
vacuò fit in ejus commendatione commorari; id potiùs  
dispiciendum, quæ maximè, & quo ordine proponi de-  
beant, ut neminem insumtæ in iis operę susceptive labo-  
ris, possit, nisi inertem planè, pœnitere. Multi in eã sunt  
adducti opinionem, ut subtilitatibus, quæ in hoc studio-  
rum genere sunt frequentissimæ, operam, præcipuè dan-  
dam esse censeant. Quo nomine nescio profectò, an præ  
aliis notari meritò nō possint, qui constructum è trigin-  
ta Cossicis problema solvendum putant, aut è familia  
Mathematica proscribunt: qui nudis infinitisq; calcula-  
tionibus sese macerare, Mathematicorum unicè esse au-  
tumant. Parùm hi ad vitæ communis usum sapiunt, simi-  
les eorum, qui auri potiundi facultate, cum liceat, nos  
ante uti nollent, quam ubi ejus essentiam penitùs habe-  
remus perspectam. Minùs vero dextrè ad vitæ usus etiam  
illi agunt, qui demonstrationibus universis longè rele-  
gatis, quicquid ratione qualicunq; arripi potest, censent  
proponendum. Equidem compendiosa videri talis Ma-  
thematum tractatio potest: at dispendiosa etiam multis  
modis fieret. Quod apud nonnullos irroboravit, & inter  
elementa hujus disciplinæ est relatam, documento esse  
potest.

potest. Docent, agrum cuiuscunq; figuræ pari passuum numero circum metatum, paris itidem & æqualis esse areæ. At veritatem si exquiras demonstratione, falsitatem experieris in vitæ negotiis, cum detrimento rei familiaris minimè ferendam. Sanè attendendum, ne, quam in multis hæc studia requirunt *anglicæ*, morosà docentis & imprudenti diligentia, in difficultatis nomen transeat: & non pauci, quo minùs honestè de illis sentiant, occasione inde sumant. At demonstrationes ideo quascunq; secludendas opinari, id in venerandam Matheseos certitudinem injurium, & in credulam auditorum industriam fraudulentum. Nam, uti hoc disciplinarum genus instructum est demonstrationibus, quibus animum cedere est necesse; non secùs ac lancem ponderibus impositis deprimi: sic viri boni est, antè, quam proponat, cogitata expendere, ne damnosà facilitate avido auditori imponat. Seligenda vero ex patentissimo Mathematicum armamentario ea potissimum, quæ ad vitæ usus faciunt maximè, ut, sive doctrinæ purioris præconio & vitæ integritate, ad æternæ beatitudinis templum, aliis facem præferas; sive ad legum præscripta mores civium informes: sive à forensi semotus strepitu, vitam vivas privatam; emolumentum ex illis capere possis. Quo fine, nò imprudenter, quæ difficultatem habent majorem, ad magis exercita auditorum ingenia reservantur; urgentur verò ea, quæ facilitate in animos influunt, jucunditate alliciunt. Sic leni quodam ductu ad altiora provehimur, usuq; in facilioribus commonstrato, disciplinarum hujusmodi aspreta, paulatim progrediendo superare addiscimus. Ut solertis Architecti cura in commoda primum, & apta pro usu necessario & utili quantitate, in conveniente etiã ad universum proportionem inveniendâ occupatur: inde venustam operis speciem

speciem decentemq; in compositionibus membrorum aspectum designat: sic ordinanda primum discipulorum ingenia, præparanda, mejuranda facilioribus, ut paria tandem imprimendis difficiliorum ideis fiant. Ea consideratione, prudentè in plarisq; Germaniæ scholis observari videmus; ut primo loco vel ARITHMETICA, tanquam totius Matheseos basis, & absq; cujus cognitione in reliquis feliciter progredi vix licebit: vel Sphœra Joannis de Sacro Busto; vel EUCLIDEA ELEMENTA prioribus lex comprehensa, prælegantur. Ipsa enim institutionis Mathematicæ ratio, eò perfici absolviq; non imperitè videtur; si seligantur maximè necessaria, selecta aptè proponantur, proposita perspicuis demonstrationibus illustrentur. Ac eà quidem lege si juventuti ista proponantur, nã multò uberius studiorum istorum fructus diffundent sese, quàm dicendo fortè explicari possit, aut opus sit etiam. Non obscure animadverti ex dictis potest, quò de causâ ILLUSTRIS NOSTER PATRONUS & hisce voluerit providere studiis; quid, cum idem ad functionem eam me poposcit gratiosissimè, pertrahere me potuerit; quid studiosam juventutem allectare debeat; quid tandem mihi potissimum dispiciendū sit in istis studiis docendo excolendis. Equidem, ut nunc ad ipsas operas Mathematicas CUM BONO DEO, PATRONIQ; ILLUSTRIS gratiosissimo jussu accedo; ita id demandari mihi agnosco profiteorq; quod de compendiosâ & fructuosâ tractatione obiter modò est monitū. In eo porrò, quicquid industria poterit, quicquid cauta provisio, solidè, quantum est in me, spondeo. Id operam dabo, ut visa nonnullis in hisce studiis difficultas, methodicâ tractatione evanescat: utilitas & jucunditas magis magisq; pateat. Primum verò meum studium spectatissimi SENATUS nostri

A ;

SCHO-

SCHOLASTICI prudenti consilio, & in literariæ juven-  
tutis commodū maximè intento, occupabitur in expli-  
candis Astronomiæ Geographiæq; præceptis. Placuit an-  
te alios author KECKERMANNUS, cujus Systemata;  
Mathematici nostri cursus initio, publicè explanabo, &  
scubi opus est, ita expoliam, ut integritatis, ordinis,  
perspicuitatis, certitudinisq; nomine, nihil possit à quo-  
quam jure desiderari. Agite igitur, juvenes lectissimi,  
quicumq; in Platonis admitti vultis Prytaneum, hanc et-  
jam Encyclopædias partem reliquis adjungite. Ne vola-  
tilibus quorundam & futilibus judiciis absterremini, qui  
quod parùm norunt, audentèr satis solent aspernari. Nec  
id animum inducite, studia quibus maxima pars vestrum  
se mancipat Theologica, hæc nostra, de quibus loqui-  
mur, suo excludere contubernio. Noah præco justitiæ  
est, idem Arcæ fabricator: Moses legem promulgat, idem  
omni Ægyptiorum sapientiã instructus: Ezechiel legem  
interpretatur, idem templum Ichnographicè nobis de-  
pingit. Et blanda quædam Mathematicum cum publico  
voluntatis divinæ in dispensanda salute, testimonio, spe-  
ctari collatio potest. Ut enim Mathematica suas habent  
demonstrationes, quib. absq; apertæ pervicaciæ nota re-  
luctari nemo potest: sic fixi Theologis, in verbo Dei, cum  
de credendis faciendisq; ad salutem absolutè necessariis  
agitur, termini, quos transilire absq; impietate & notis-  
sima in salutis dispensatorem contumeliã, impunè nun-  
quam licebit. Ut eadem continuam requirunt diligenti-  
am, unde & Mathematica dici meruerunt; sic hominem  
Dei, monente Apostolo, *deget, ἀπὸ βεβήτου ἀναγνώσκειν  
τὰ ἱερὰ γράμματα, τὰ δυνάμενα ἡμῶς σφίσει εἰς σωτηρίαν, διὰ  
πίστεως τῆς ἐν χερσὶ Ἰησοῦ.* Quo non inconcinne respexisse  
mihi videtur Theologus simul & Mathematicus insignis,  
B. PITISCUS

B. PITISCUS p. m. dum in præfatione Trigonometriæ  
majoris, Theologos omnes, optat esse Mathematicos.  
Non Archimedea à vobis requiritur diligentia, quã et-  
iam loturus, corpori oleo pro more inuncto, figuras  
Geometricas induxisse scribitur: quin trucem ignari mi-  
litis gladium cervici imminentem non animadvertit.  
Non abaco opus magni pretii, quem veteres vocabant  
mensulam hyalini pulveris resperione coloratam, &  
lineares ductus circularesq; flexus recipientem. Saltèr,  
quantū alii ludis, quantū alex tribuunt tēporis; tantū  
hisce vos tribuite stu diis. Uno opus circino & regulã. At  
aptigreb. intimã dis instrumētū viva est vox. Quapropter  
cras favente Deo, horã IX matutinã paucis edisseram,  
non parum dignitatis Mathesi conciliari inde, quod, in  
amplissimo totius mundi cōcinnando systemate in tē-  
pli etiã Hierosolymitani, & illorū quę cō referri cōmodè  
possunt, structura, Deum ter Opt. Max. quē *αὐτὸς γεωμετρεῖν*  
*τε* Moses vocat Atticus, nihil non ad regulas Mathe-  
maticas fecisse, ex sacris ostendi scripturis abundè pos-  
sit. At istud auspical, quod Jehova largiatur, professio-  
nis meæ initium, quotquot honestè de studiis humani-  
tatis & dextrè judicare soletis; & vel in Illustri hoc Gy-  
mnasio docetis alios; vel mētis excolendæ gratiã vivitis:  
officiosissimè peramanterque velim invitatos. Interim,  
praterlapso nunc rursū anno, terminoq; ad vitæ bea-  
tionis possessum magis proximante; Deo nostro mecum  
gratias agite; quod præter alia bonitatis suæ documen-  
ta numero modoq; illustria, inter ipsos Satanæ fremitus,  
in hoc etiam Orbis Germanici angulo; pietati arti-  
umque studiis commodo prospexerit domicilio: quan-  
do, quem dudum nobis excitavit, PATRONUM ET  
NUTRITIUM, confirmare in laudatissimo proposito  
gratiosè

gratiosè fuit dignatus: Spiritu in super prudentiæ infor-  
mavit ita, ut id meditetur unicè, qui juvenus literaria,  
liberaliter sustentata solerterque informata, in Dei lau-  
dem; patriæ, rei publicæque Christianæ emolumentum,  
lætè possit succrescere. Fausta eidem GENEROSISSIMO  
NOSTRO PATRONO TOTIQUE ILLUSTRIS-  
SIMÆ FAMILIÆ precamini; & quod votorum summa esse  
potest, ὁμοθυμαδὸν acclamate: BARO SCHONAICH;  
DEUS TE SERVET. Valet.



RODULPHUS  
HABSBURGICUS,

PANEGYRICO HISTORICO CELEBRA-  
TUS, ET NOTIS VARIIS, REGULIS  
THEOLOGICIS, ETHICIS,  
POLITICIS ILLU-  
STRATUS

à  
CASPARE DORNAVIO  
PHILOS. ET MEDICO.

Editio altera, plurimum aucta  
& correctæ.



BETHANIÆ AD ODERAM

JOHANNES DÖRFFERUS TYPOGRAPH.  
SCHÖNAICH. EXSCRIBEBAT.